



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Falx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

ANIMADVERSIO. CAP. LXXII.

Hinc Tenedia securi.
πενδι.
πτελευς.
Tenedius numus.
Hinc Tenedi.
δι.
αυ.
βρωπ.
pro inextinguibili & teritico viro.
Plus in colliantio.
Adag.
Proverbiū.

Neque enim apud Romanos tantum, sed etiam apud aliquot Græcorum gentes securis severissimæ fuit animadversionis hieroglyphicum, ut in Tenedio numo, de quo Pollux, cernere est. Tenediorum enim Rex cum legem eam tulisset, ut in adulterio deprehensi mas & femina eodem supplicio securi subicerentur, neq; filio peperisset suo, rem eo monumento iussit insigniri, quo Tenedius numus signatus est: de quo Aristoteles in Tenediorum Republ. una quippe parte securis est cusa, altera capita duo.

DURATURA MEMORIA. CAP. LXXIII.

Antiquorum memoriis plerisque securim & asciam, sed hanc frequentius, videas adsculptam, addito etiam elogio, *Sub asciam de di veteris*, quotiens defunctus non obliterandam de sepulchro memoriam cavet, aversaque ideo scalpitur ferri acies. Sed in Divinis literis, per asciam simpliciter pravorum hominum in insectandis abolendisque proborum operibus studium & conatum intelligimus: ut Psalmo 74, *In securi & ascia dejecerunt eam*,

DE FALCE. CAP. LXXIV.

Quia falcis inventor, qua etiam Calypso abscondit virilia.
Apollonium l. 2. Argon.

Falx præcipue in Saturni manu, temporis, quod uniuscujusque rei maturitatem attulerit, hieroglyphicum est, quod & nomen ipsum *δεξπαις* præ se fert. Nam aqud Græcos *δεξπαις* vindemiare est atque metere. Tempus autem edax rerum, omnia demetit.

AGRICULTURA. CAP. LXXV.

Uero Cyprianus sentit, rei rusticæ, quam Saturnus docuisse fertur, signum fuit. Nam finis ejus indultriæ est, metere, fructusque colligere.

CASTIGATIO. CAP. LXXVI.

Quam vero falcem in custodis hortorum manu veteres posuerunt, ad fures arcendos, aversaque ne fructus læderent deterendas, antiquum inventum est, castigationis quippe hieroglyphicum. Apud Zachariam Prophetam siquidem legas capit. 4. *Falcem quam videre visus est longiuinū cubitorum viginti, latitudinis decem, contra fures eam, & contra perjuros exacutam, inferrique eam in domum furis atque perjuri.*

DE SERRA. CAP. LXXVII.

Hinc illud Esa. cap. 10. Serra gloriatur contra trahentem.

Inter instrumenta secandi & Serra est, eadem militare vocabulum. Ea sane in Agyptiorum obsequiis frequens habetur: caterum apud eorum anthores, quos viderim, quid ea sibi velit, traditum non inveni.

MALEDICENTIA. CAP. LXXVIII.

Laciades maledicentiam, sive ut ipse scribit, maliloquium, per Serram significari observavit, sive id ob dentium seriem, quæ mordacitatem innuere videatur: sive ob invisum stridorem, maximeque auribus insensum, quem in nodos præsertim illapsos reddit, acerbo, ut inquit Lucretius, horrore concitato.

ANCEPS PUGNA.

CAP. LXXIX.

Incipitem vero pugnam, victoriam alternatim modo in hanc, modo in illam partem, vicissitudine sapius variata, inclinantem, significare qui volant, *Serra pugnare* dicunt, aut præliari. Id est tunc, Festus ait, cum frequens est conferta pugna: vicissitudo, cumque assiduo acceditur & receditur, neque ullo consistitur tempore, quod quidem ab secandi gestu desumitur: serra quippe modo in hanc, modo in illam partem assidue tracta.



SERRA.